

rebant, hosce filios nec esse considerandos tanquam verè legitimos, & naturales, sed nec etiam uti merè naturales, proindeque in decernendis favore ipsorum Alimentis mediam tenendam esse Viam, juxta quam ipsi assequantur alimentariam portionem, majorem quidem illà, quæ debita esset filiis merè naturalibus, sed infimul inferiorem altera, quæ præstanda esset filiis legitimis, & naturalibus ad tradita per *Molin. de Primogenit. Hispan. lib. 2. cap. 15. num. 15. in fin. Boss. de Matrim. rom. 2. cap. 6. num. 63. & seqq. Merlin. de legit. lib. 1. tit. 2. quæst. 5. num. 30. Rot. dec. 429. nu. 4. cor. Penia.*

Jactò autem hoc præliminari fundamento descendentes Domini ad explicandum illud Juridicum arbitrium, in quo subjectam materiam alimentariam ferè totam versari tradit *Rot. dec. 355. num. 3. & seqq. cor. Cerro, dec. 306. nu. 11. part. 19. rec. in Romana annue præstationis super alimentis, & sumptibus luis 18. Martii 1700. §. Quo verò coram Eminentissimo Scotto, & in Romana Filiationis 22. Martii ejusdem anni §. Cum enim coram bon. mem. Muto; Existimarunt in hujusmodi Alimentorum, ac tractamenti assignatione contemperandos invicem esse terminos necessitatis, & honestatis, sive honorificentiae, ita ut in neutrum deflectatur ex vitiosis extremis, nempe vel in immodicum luxum, vel in rei familiaris angustiam. Qua proinde retenta methodo conveniunt iidem Domini Alimentorum nomine assignandum dd. Fratribus esse tum commodum congruæ, & sufficientis Habitationis omnibus necessariis suppellecilibus instructæ, & quidem in mansionibus, quæ nec nobiliorem, neque deteriorem, sive minus nobilem Domus partem constituant, sed mediam veluti speciem participant; Tum etiam congruum, & condecemtem victum unà cum mensis feut. 10. pro quolibet de semestre in semestre anticipatè persolvendis ad effectum comparandi vestitum, & prospiciendi eorum ordinariis indigentibus, præcisivè tamen ab expensis extraordinariis medicinalium, aliisque quibuscumque necessariis in casu ægritudinis; Tum demum operam duorum ex famulis Marchionis Alexandri, qui necessarium ipsis Fratribus, tam Domi, quam extra famulatum exhibeant, ita tamen, ut ipsi adhuc remaneant in albo Familiae, seu famulorum dicti Marchionis Alexandri, penes quem in sequelam solutionis salarii, sive stipendii, residere etiam debeat facultas illos dimittendi, ac renovandi. Quæ omnia cum satis esse visa fuerint ad honestum, & commodum vitæ cultum, ideò denegandum iidem Domini duxerunt factum Currus, seu Rhedæ, utpotè supervacaneum, vel saltem non necessarium ad vitæ etiam honestæ rationem.*

Quamquam verò hujusce Alimentariæ assignationis justitiam satis superque ostendere visa fuerit ipsamet palmaris illius congruentia, attamen ad eam uberius patefaciendam univoce etiam conspirabant quamplura exempla per Defensores Marchionis Alexandri adducta, ex quibus patebat, vel similem, vel circiter parum discrepantem à Tribunali nostro pluries habitam fuisse rationem in taxatione Alimentorum etiam pro filiis legitimis, & naturalibus ex aliis pariter nobilibus Familiis, ut promiscuè recognosci potest penes *Rot. dec. 184. num. 9. cor. Penia, decif. 588. num. 4. coram clar. mem. Card. Cerro, decif. 417. num. 22. part. 16. & dec. 717. n. 23. & seqq. part. 18. rec.* Quæ quidem praxis servata in prædictis casibus indifferentibus, jam facile patet, quo potiori titulo servanda sit in prænotatis subjectæ hypothese circumstantiis.

ad quarum de cætero etiam tramites exuberantem hujusce Alimentariæ assignationis congruentiam satis convincere visa fuerunt alia exempla in terminis filii naturalis legitimitati ex alia nobili familia relata per *Rot. decif. 429. sub num. 4. & decif. 465. ferè per tot. cor. Penia, & in terminis filii naturalis ex alia prænobili familia eadem Rot. decif. 95. num. 12. & decif. 148. num. 5. & seqq. cor. Duran.*

Atque hinc frustra ex parte Fratrum de Rondaninis obtendebatur stylus regionis, hoc est, Almæ Urbis, ubi hodie luxus in immensum excreverit, Dignitas, Decus, & opulencia Familiae, ejusque solitum desumptum ex eo, quod constat sub anno 1649. Nicolao progenito ex eadem Familia constitutum fuisse assignamentum mensuorum sc. 100. ultra quotidianum victum, habitationem, & currus mantentionem. Etenim aperta disparitatis ratio deduci visa fuit ex eo, quia dictus Nicolaus erat Filius Primogenitus legitimus, & naturalis, qui per obitum Patris jam actu successerit in Primogenituram, & juxta prænotatum modum se per viam temperamenti provisionaliter composuit cum Matre, quæ relicta fuerat hæres usufructuaria. Unde ab hisce adeò qualificatis facti circumstantiis satis liquet nullam fieri posse illationem ad casum præsentem, in quo diversi habendi sunt respectus, ac dispar est servanda methodus pro regulanda Alimentorum taxatione, ut superius firmatum fuit.

Jam verò transitum faciendo ad aliam Dubii partem versantem circa modum, juxta quem præstanda erunt dd. Alimenta, Domini declararunt, ea non aliter esse subministranda, quam in Domino propria Marchionis Alexandri, cum explorati Juris sit Patrem regulariter non teneri ad præstanda filiis Alimenta extra Domum, juxta Doctrinam *Castron. in l. Quidam cum filium num. 6. ff. de verb. oblig. Riminald. jun. conf. 132. num. 23. Cyriac. contr. 33. num. 6. & seqq. Gratian. discept. 552. à num. 41. ad 45. Saminat. contr. 127. num. 40. & seqq. Mans. consult. 43. num. 1. Boss. de Alimen. part. 2. cap. 11. num. 668. Paschal. de Patr. potest. part. 2. cap. 3. num. 73. Rot. dec. 184. num. 3. cor. Penia, & in Firmana Alimentorum 1. Julii 1712. §. Final. cor. Eminentissimo Scotto; Ita quidem ut non nisi ex causis gravibus, ac legitimis tendentibus, vel ad evitanda pericula, vel necessitatis, sive honestatis speciem præferentibus, quarum tamen nulla in præsentis hypothese concurrere videtur, ad præstanda extra Domum Alimenta, obstringi possit, ut notat *Antonel. de Loc. legal. lib. 2. cap. 19. num. 27. Saminat. dicta contr. 127. num. 40. & seqq. Adden. ad Rot. decif. 636. num. 129. & seqq. part. 4. tom. 3. nec impari cæteroquin ad hunc effectum remanente sola causa præsentis litis, cum alioquin litium suscitatio, utpotè dependens à voluntate, & libito Alimentarii, posset ipsi semper tutum parare præsidium ad effectum cogendi alteram Partem ad subministranda Alimenta extra Domum, ut ad rem advertit *Riminald. jun. d. Conf. 132. num. 15. Torr. Var. Jur. quæst. tom. 1. tit. 4. quæst. 4. numer. 6. Adden. ad Rot. d. decif. 636. numer. 176. part. 4. tom. 3. rec.***

Et ità &c. utraque &c.

REVEREND.

REVERENDISSIMO PAT. D.

CRISPOLTO.

REATINA LEGITIMÆ

Lunæ 31. Januarii 1724.

ARGUMENTUM.

Substitutio pupillaris facta filio in re certa instituta quando resolvatur in fideicommissariam, ita ut Matrem non excludat.

SUMMARIUM.

- 1 Egidiana constituto quomodo procedat.
- 2 Substitutio pupillaris expressa inducitur per mentionem pupillaris ætatis.
- 3 Substitutio pupillaris expressa excludit matrem ab hæreditate impuberis de jure canonico.
- 4 Item de jure civili.
- 5 Substitutio prædicta quando resolvatur in fideicommissariam & matrem non excludat, & n. 9. & 11.
- 6 Verbum succedat relatum ad bona, non ad personam, est commune.
- 7 Explicatur Text. in Cap. si Pater de Testam. in 6.
- 8 Explicatur nonnullæ decisiones Rotæ in hac materia.
- 10 Verba communia in substitutione facta impuberi in re certa instituta non habent sensum directum nisi validis concurrentibus conjecturis.
- 11 Explicatur Text. in L. Cohæredi §. fin. ff. de vulg. & pupillar.

DECISIO XXIV.

Honorabili titulo Institutionis Jo. Baptista Pittori in ultimo, cum quo decessit, Elogio, relictis sc. 600. Franciscæ unicæ ejus Filiae, in reliquos, quod hæreditatis suæ superextabat, universales sibi scripsit Hæredes, tres suos Fratres Germanos, quos etiam succedere voluit in dd. sc. 600. si eadem Franciscæ in Pupillari ætate, & sine Filiis obiisset. Cumque paulo post mortem Patris, Pupilla decesserit, Superbite Joanna ejus Genitrice, ad istius favorem in Tribunali A. C. per Sententiam concessa extitit immisso ad tertiam partem pro indiviso omnium bonorum Hæreditariorum Testatoris, Jure & titulo legitimæ debitæ eidem Joannæ ex persona memoratæ Franciscæ communis Filiae, & in pupillari ætate defunctæ. Quamobrem delegata mihi Causa appellationis ad Instantiam dd. Fratrum de Pittorris cum clausula. *Constituto, quod sit locus Egidiana, consilii hodiè DD. meos super consueto dubio, cui responderunt: Affirmativè juxta modum.*

Notoria quippè est dispositio istius Constitutionis, quæ locum habet in omnibus Terris, & locis Romano Pontifici immediatè subjectis, & in quo-

libet Judicio Possessorio, quoties Sententia sit valida, & justa, & lata fuerit prout in casu inter Personas Laicas, ac super rebus, & Bonis Laicalibus, ut notant *Vest. & Ridolph. in præxi Hic. par. 2. cap. 6. n. 132. cum seqq. Ille lib. 7. cap. 3. per tot. Rot. in Romana Legiti, seu Legitimæ 28. Februar. 1695. §. Verum quia in fin. coram Emo Scotto; & alibi frequentissimè.*

Validitas Sententiæ adeò nitidè consuebat ex revolutione Processus, ut nulla inter Partes circa eam emerferit controversia. Justitia verò perspicue tandem effulgebat, ex eo, quod licet in substitutione, de qua disputatur, Testator mentionem fecerit pupillaris ætatis verbis specialibus, quæ importare videntur pupillarem expressam, ut relatis antiquioribus ponderat *Barr. de success. lib. 4. tit. 1. n. 1. cujus virtute regulariter Mater excluditur à Luctuosa Filii sui Impuberis hæreditate, tam de Jure canonico in cap. si Pater de Testamen. in 6. quam de Jure civili, ut in l. Lucius 45. ff. de vulg. & pupill. cum cæteris deductis per Rot. in Ariminen. Bonorum 16. Maii 1692. §. Absque eo quod cor. bo. me. Molines, & in Aprutina Pecuniaria 3. Martii 1704. §. Non obstante cor. Emo Scotto. Tamen regula fallit, quando, prout hic, Impubes institutus non legitur universalis Hæres, sed tantum in re certa, seu certa quantitate, alio dato cohærede Universalis, & substitutio refertur ad illam certam quantitatem Impuberi relictam, atque explicata noscitur per verba communia, non verò omnino directæ, & civilia, cum in istis circumstantiis, tamen in substitutione facta fuerit mentio pupillaris ætatis, adhuc illa dici neutiquam queat pupillaris; sed remaneat omni tempore fideicommissaria, quæ minimè excludit Matrem à luctuosa prædefuncti filii impuberis Hæreditate juxta celebrem, & individualem Theoricam *Bart. in l. Centurio numer. 35. ff. de vulg. & pupill. substit. & in his terminis latè tradunt Barry de success. lib. 4. tit. 1. numer. 15. & tit. 5. numer. 3. Card. de Luca de fideicommiss. disc. 121. numer. 2. & disc. 132. numer. 3. Rot. post Merl. de Legit. decif. 22. numer. 1. & per tot. & decif. 63. numer. 4. cum seqq. plenissimè in Firmana fideicommissi 17. Martii 1702. §. fin. cor. bo. me. Muto, & magistratè in Auximana Successionis 13. Martii ejusdem Anni §. Sexta regula coram bo. me. Ansaldo.**

Quod autem Institutio, de qua disceptatur, consistat dumtaxat in quantitate certa, aliis datis Cohæredibus universalibus, quodque Substitutio ad eandem signatam, & certam quantitatem fuerit coercita verbis non omnino directis, & civilibus, sed communibus tantum, convincebatur apertissimè ex simplici, & nuda litera testamentariæ dispositionis præd. Joh. Baptistæ Patris, quæ in hac parte comperiebatur nimis clara, & nulla indigens Glossa ibi: *Erede proprietaria instituitse &c. nella somma di sc. 600. con. Paconcio de Panni Franceca sua Figlia legitima, e naturale, e nel rimanente di tutta la sua Eredità, & istituitse &c. suoi Eredi proprietari li suoi Fratelli Carnali &c. e morendo d. sua Figlia in età pupillare, e senza figli legittimi, e naturali, vuole, che SUCCEDINO IN DETTA SOMMA li suoi Fratelli come sopra instituiti: Et quod d. verbum SUCCEDINO quoties, ut in casu, non refertur ad Personam, sed ad Bona, non sit omnino directum, & civile, sed commune animadvertit *Spad. conf. 325. numer. 4. & 5. vol. 3. Rot. cor. Mant. dec. 367. numer. 8. & indistinctè ad effectum excludendi pupillarem firmant Bart. in d. l. Centur. numer. 52. ubi Add. lit. C. ff.**



C. ff. de vulg. & pupill. substit. Gulielm. de Benedictis in cap. Raynuius part. 2. num. 16. Grat. discept. 407. numer. 9. Cancer. variar. resol. part. 1. cap. 1. sub num. 5. Stayban. resol. 24. sub num. 4. Trentacinq. de substit. part. 2. cap. 4. num. 22. Belon. de Jur. accrescend. cap. 7. quest. 3. num. 206. cum seqq. Barry de success. lib. 4. tit. 1. sub numer. 11. §. Quinta cum verba substitutionis vers. sed receptor opinio est Rota cor. Burati. dec. 84. num. 12. & cor. Ubald. dec. 411. num. 9.

7 Nec contrarium firmant Autoritates in objecto relatæ. Nam dispositio Text. in cap. si Pater de Testam. in 6. Loquitur de filia ab initio in re certa instituta, quæ deinde in tota hæreditate successerat, ob præmorientiam Fratris, qui in universum fuerat hæres institutus, & idcirco consolidata universa hæreditate in eadem filia, ista amplius considerari, & reputari nequibat tamquam hæres, ut optimè in individuo explicat Card. de Luc. de fideicommiss. d. disc. 122. sub num. 3. §. Verum cum duob. num. seqq. quem refert & sequitur Rota in d. Auximana Successionis 13. Martii 1702. §. Quod quidem cor. bo. me. Ansaldo. Casus verò decisionis in recensita Ariminen. Bonorum 16. Martii 1692. cor. bon. me. Molines, erat de Filia instituta hærede universali, cui verbis directis facta extiterat substitutio quatenus in pupillari ætate moreretur, ut ex lectura d. decisionis in §. 1. & §. Quoniam, & pariter de substitutione pupillari facta filio impuberi usque ab initio hæredi in universum instituto loquitur altera Dec. in Aprutina Pecuniaria 3. Martii 1704. cor. Eminentissimo Scotto, ut liquet ex §. Nec ulam ibi, Et deinde Hæredem Universalem instituit Medorum filium; Quapropter autoritates præd. ex circumstantiarum diversitate penitus inapplicabiles reddebantur præsentis casus Hypothesi, in qua filia numquam hæres fuerat in universum, & substitutio eidem facta explicata noscebatur verbis communibus, & quod magis est limitata, & restricta legebatur expressè, & præcisè ad illam signatam, & certam summam, in qua hæres instituta extiterat, atque ideò illa resolvitur in fideicommissariam, & matrem non excludit ex quo censetur potius legatum certæ Partis hæreditatis, quam substitutio directa Bald. in l. præcibus n. 44. versic. Tertio Attende, ibique Salicet. num. 26. & 34. C. de Impuber. & aliis substit. Canc. variar. resol. part. 1. cap. 1. nu. 10. Merlin. de Legit. lib. 3. tit. 2. qu. 14. n. 16. 29. & 46. Rot. post eundem d. dec. 22. num. 2. & in Firmana Fideicommissi 27. Aprilis 1703. §. Minime refragante in fin. cor. bo. me. Muto, ubi quamplures dantur concordantes.

9 Neque ob stare videbatur, quod verba communia, tamquam capacia utriusque significationis accipi deberent in sensum directum, quando conjecturis, & argumentis constat Testatorem intellexisse, & voluisse instituere directè etiam in re certa; Etenim prætermisso, quod conjecturæ in oppositum ponderatæ non comperiebantur adeò relevantes, ut per necesse tale quid concluderent, ut de Jure requiritur ad hujusmodi effectum ad tradita per Rot. in rec. dec. 31. n. 29. part. 9. cum aliis plurimis relatis in d. Firmana Fideicommissi 19. Martii 1702. §. Itaque restrictio cor. bo. me. Muto. Hujusmodi objecto removeri visa est potius ex defectu potestatis. Nam cum Testator substitutionem præcisè coarctaverit ad illam signatam summam filia relicta ibi, succedimo, in d. somma, utique ultra eandem summam, & ad cætera Bona, quæ post obitum Patris poterant Pupillæ obvenire, illa porrigi, nec protrahi valet,

& proinde substitutio taliter, & sic restrictivè concepta minimè in linea Pupillaris subsistere quit, quando prout hic Infanti instituto in aliqua certa quantitate, alius datus fuit Cohæres Universalis, ne maximum eveniat absurdum, quod nempe impubes decedat, partim ex Testamento, & partim ab Intestato, ut explicando Text. in l. Cohæred. §. fin. ff. de vulg. & pupill. ubi Patri indulgetur Potestas pupillariter substituendi filio impuberi ab ipso in re certa instituto optimè advertit Card. de Luc. de fideic. d. disc. 122. sub n. 3. versic. atque videatur & solidè firmavit Rot. in d. Auximana Successionis 13. Martii 1702. §. Non adversante cum §. seqq. cor. b. m. Ansaldo.

Verum quia Informantes pro Fratribus de Pitorris contendebant quod hoc etiam retento Themate, concedi adhuc non valuisset Immissio ad tertiam partem Bonorum Jo. Baptist. Testatoris, qui Filia tantum præfata sc. 600. reliquerat, quæ proinde aliud præterdere nequibat juxta censuram cap. 145. Statuti Urbis, cui subest Castrum Frasi Patria Testatoris, & è converso Matris Defensores viriliter sustinere conabantur eundem Testatorem possedisse majorem suorum Bonorum partem in Castro Turricella, quod in Urbis districtu prætendebatur comprehendi, ubi idem Testator decesserat, & Testamentum confecerat. Propterea DD. super hoc puncto inter se non satis concordēs ejus definitionem particulari, & maturiori examini reservantes Immissionem hodiè limitant & restrinxerunt, illamque competere dumtaxat censuerunt pro dicta summa sc. 600. quam Pater in Testamento Filia suæ reliquerat, & in hoc refedit modus resolutioni adjectus.

Et ita utraque &c.

## REVERENDIS. P. D. RATTO

E A D E M.

Lunæ 21. Januarii 1725.

## ARGUMENTUM IDEM.

## SUMMARIUM.

- 1 Nullitates per signaturam rejectæ cum clausula Alteri non attenduntur in Rota.
- 2 Pupillaris substitutio expressa Matrem excludit ab hæreditate filii tam de jure civili quam canonico.
- 3 Si tamen facta est verbis communibus relativè ad certam quantitatem resolvitur in fideicommissariam, & matrem non excludit.
- 4 Et ad hoc ut tali casu substitutio dicatur facta directè requiruntur conjecturæ vehementissimæ.
- 5 Notarius deponens extra actum stipulationis vix gerit figuram unius Testis.
- 6 Pater filio in re certa instituto potest pupillariter substituere.
- 7 Dummodo illi cohæredem universalem non dederit, & de ratione.

## DECISIO XXV.

Immissionem pro indiviso ad tertiam partem omnium bonorum hæreditariorum Jo. Baptistæ Pitorri, quam A. C. concesserat Jo. de Marcangelis jure, & titulo legitimæ eidem debitæ ex persona Franciscæ communis filia in pupillari ætate

ætate defunctæ, Sacrum Tribunal, ad quod causa in gradu appellationis devoluta fuerat, tribuendam solummodò declaravit pro summa scut. 600. quam dictus Jo. Baptista Pater eidem Franciscæ filia in testamento reliquerat, & maturiori, ac particulari examini reservavit inspectionem puncti, an præfata Joannæ debitum foret supplementum Legitimæ, seu potius particularis Institutio filia in sc. 600. haberi deberet pro assignatione dotis; ideòque ob staret peculiaris censura Statuti Urbis lib. 1. cap. 145. cujus vigore dos relicta filia non assumit naturam legitimæ, nec illius loco succedit, quam quidem statutariam dispositionem contendebat minimè comprehendere Castrum Turricella, ubi Testator majorem suorum bonorum partem possederat, testamentum considerat, & decesserat, ut ex decisione desuper evulgata die 31. Januarii superioris anni coram R. P. D. meo Crispolto, ad cujus normam relaxatum subinde fuit mandatum de exequendo, ac de immittendo pro d. summa sc. 600.

Non acquiescentibus hujusmodi judicatis Bernardino, & aliis de Pitorris, quas Joannes Baptista frater universalis sibi scripsit hæredes, ac etiam succedere voluit in dd. sc. 600. quatenus Franciscæ filia in pupillari ætate, & sine filiis obisset, novam à Signatura Justitiæ mihi dirigi obtinuerunt commissionem cum clausula, Alteri qui ad ulteriorem, eaque propter cum hodiè disceptandum proposuerim dubium, An sit præcedendum ad ulteriorem executionem? responsum habui affirmativum.

Validitas namque præcedentium judicatorum, inutili promissæ conatu impugnabatur, sive ex quo Judex primæ instantiæ concesserit immissionem pro tertia parte ad bona Joan. Baptistæ independentem ab ejus testamento; Rota verò executionem restrinxit ad ratam sc. 600. cohærenter ad idem testamentum, sive ex quo pro legitimo in vim testamenti non competeret remedium possessorem immissionis, sed solum actio exequiviva ad pretium sc. 600. sive denique ex quo Sac. Auditorium devenire non potuisset ad expeditionem per decretum exequi, dum Judex à quo causam desiniverat per sententiam, quo casu Judex ad quem tenebatur pariter sententiam confirmatoriam promulgare; Quia cum omnes prædictæ nullitates fuerint deductæ in Tribunali Signaturæ, & nihilominus eadem Signatura rescripserit cum clausula, Alteri qui ad ulteriorem, nedum exinde præservata remansit via exequiviva, sed ulterius adempta fuit Partibus facultas deducendi in Sac. Rota easdem nullitates, quas Signatura rejecit, ut animadversum fuit in Romana manutentionis, seu Associationis 4. Decembris 1713. §. Neque judicatum cor. Eminentissimo D. Card. Falconerio, & in Romana Pignorum 5. Martii 1720. §. Seposita cor. R. P. D. meo Corio.

Justitiæ verò clarissimè promanabat, ex quo licet Jo. Baptista testator in substitutione facta favore fratrum mentionem fecerit pupillari ætatis verbis specialibus æquipollentibus pupillari expressæ, cujus vigore tum ex dispositione Juris Canonici in cap. si Pater de Testam. in 6. tum ex præscripto Juris Civilis in l. Lucius 45. ff. de vulg. & pupillar. Mater exclusa remanet à luctuosa hæreditate filii sui impuberis, prout ultra adductos in decisione R. P. D. mei Crispolti §. Validitas firmavit Rot. in Aquipendian. Immissionis 3. Julii 1713. §. Neque obstat. & 29. Januarii 1714. §. Clara eisdem cor. Reverendissimo D. meo Lancetta Decano.

Communem tamen conclusio prædicta limita-

tionem admittit, quando prout in præsentis casu filius impubes non fuit institutus universalis hæres, sed tantum in re certa, seu certa quota alio universalis dato cohæredere, & quando substitutio relative se habet ad illam certam quantitatem impuberi relictam, & concepta est per verba communia, non verò omninò directæ, & civilia, tunc enim etiam in substitutione facta fuerit mentio pupillari ætatis, adhuc eadem substitutio, dici non potest pupillaris, sed remanet fideicommissaria, & nequiquam excludit matrem à luctuosa hæreditate filii impuberis prædefuncti, ut originaliter docuit Bartol. in l. Centurio n. 35. ff. de vulg. & pupillar. substit. ibi, Et hoc nota ad questionem, si Testator instituit filium in certa quantitate, etsi decedat sine liberis in pupillari ætate, vel postea quocumque, volo, quod d. quantitas veniat ad talem, quia tunc non continet pupillarem, quia est facta in certa quantitate per verbum commune, & eandem Bartoli Theoricam communiter amplectentes firmant, Mantici. de conjectur. ultim. volunt. lib. 7. tit. 3. n. 13. Fusar. de substit. qu. 24. n. 36. Peregrin. de fideic. art. 34. n. 55. & seq. Rot. dec. 509. tota part. 4. divers. in Firmana fideic. 17. Martii 1702. §. fin. coram bo. me. Muto, in Auximana Successionis 13. Martii ejusdem anni §. Sexta regula cor. bo. me. Ansaldo, cum aliis in dec. hujus causæ die 31. Jan. 1724. §. Validitas in fin. cor. R. P. D. meo Crispolto.

Quin ad arguendam contrariam Testatoris voluntatem obesse potuerint debiles conjecturæ petita, vel à totali exclusione Matris, vel à vocatione fratrum substitutorum in tota hæreditate. Exclusio namque Matris coarctata legitur ad hæreditatem ipsius Testatoris ne scilicet illa quidquam petere possit ab eadem hæreditate ultra legatum sibi relictum, ideoque trahi non poterat ad eidem interdicendam successionem in hæreditate filia. Vocatio verò substitutorum in tota hæreditate non se habet correlativè ad rem certam filia relicta titulo institutionis, cum imò post institutionem filia in sc. 600. subsequens fratrum institutio concepta legatur, nel rimanente ibi, e nel rimanente di tutta la sua eredità sà &c. sui eredi proprietari li suoi fratelli carnali, alli quali lascia tutto rimanente della sua eredità. Certum autem est, quod conjecturæ, ex quibus erui possit Testatorem voluisse instituere, & substituere directè etiam in re certa, debent esse vehementissimæ, ac tantæ efficacæ, ut quasi perneccesse concludant talem fuisse Testatoris voluntatem ex animadversis in Firmana fideicommissi 19. Martii 1702. §. Itaque restrictio cor. bo. me. Muto, & in decisione diei 31. Januar. 1724. §. Neque ob stare cor. R. P. D. meo Crispolto.

Nullanque promeruit animadversionem attestatio nuper extorta à Notario rogato de testamento, qui deponit Testatoris mentem fuisse quod, Quando d. sua figliuola fosse morta in età pupillare, voleva, e disponeva, che tutta la robba sua, e di d. sua figliuola andasse intieramente alli suoi fratelli, e che la Sig. Gio. Madre, e sua Moglie rispettivamente non potesse pretendere sopra l' eredità di d. sua figlia cosa alcuna anche per titolo di legitima, o qualunque altra ragione. Notarius enim extra stipulationis actum de aliquo deponens, nullam constituit probationem, & vix gerit figuram unius testis, ut per Text. in leg. hac cons. sultissima Cod. qui Testam. facere possint, monuerunt Bald. in l. cum proponebatur 66. sub n. 7. ff. de legat. secundo Grammat. cons. 24. n. 1. Gratian. discept. forens. cap. 973. n. 48. & cap. 889. n. 13. & 14. Card. de Luc. de Judic. disc. 26. n. 38. in fin. Rot. dec. 235. n. 22. & 23. coram Dumoz. sen. & in Urgellen. Archidiaconatus 26. Junii 1722. §. Hujusmodi cor. R. P. D. meo de Gamaches.